tolluntur, se latere, haud scientiâ, sed fide comprehendere. Quapropter certitudinem, ac evidentiam carnis oculis concedentes, densâ ignorantiæ caligine, interiorem rationis, & intelligentiæ oculum pravo judicio cæcutire affirmabant. Ego tamen obstupescens hæc mecum revolvebam: Quid stultius, ac magis vero dissonum dici potest? quàm tam improvidam, & iniquam fuisse Naturam, ut hominibus distantissima corpora, totiusque extensiæ substantiæ latebras perlustrare posse tribuens, se ipsos intelligere denegaverit? Forsan adeò infelix, & infausto sub sidere natus est Animus, ut quæ a sua Indole aliena sunt, inspiciens, sui tamen ipsius turpissima laboret inscitiâ, sibique vivat ignotus? At quid oculatissimæ Summi Conditoris Sapientiæ, ac pulcherrimo rerum Ordini magis dissentaneum? Quàm immanè igitur falluntur isti homines, opinantes Animum neutiquam posse se ipsum detegere?

Cum ergo a præfatis artium, ac scientiarum cultoribus ullum prorsùs lumen ad animum explorandum haurire nequirem, ad Priscorum illicò Sapientum codices confugi, Aristotelis Opera lustravi, Platonem, & quæ fragmenta Epicuri, Empedoclis, Democriti, Anaxagoræ, aliorumque veterum Philosophorum de Anima disputantium supersunt, avidus, & quodammodo famelicus non legi, sed voravi, irrito tamen labore: Nihil enim aliud in hisce reperij, præter vanas contentiones, loquaces subtilitates, ac portenta verborum, undique incertitudinis, & obscuritatis tenebras offendens; dum alii aerem, alii ignem, corporis temperamentum, & harmoniam, aut athomorum texturam alii Animum esse sustinent: hæc omnia quidem tanquam dubia, vacillantia, & a ratione devia contemnebam. Aristoteles etsi acutiùs, & ingeniosiùs de Animi affectionibus edisserat, admodum tamen involutum, enigmaticum, ac caliginosum inveni: mihique confestim innotuit, legitimam Animi notionem ipsum minimè esse assequutum, si ita ratiocinatus est, ut adhuc sub lite maneat, an sempiterna, an temporariâ potiùs humanas Animas vita gaudere, censuerit. A Platonica verò Grandiloquentia maturiùs quidem, & apertiùs Animæ nostræ immortalitatem, præstantiam, ac dignitatem explanatam accepi; Quid autem sit Animus neutiquam didici, ob nominum amphibologiam, nugas, figmenta ac inanem quamdam garrulitatem; quibus Platonis doctrina, quandoque a veritate aberrans, haud mediocriter deturpatur.

Tàm cæca ergo caligine refertam prophanam, ac Æthnicam literaturam cernens, cum insitum Rationis lumen jam mihi suaserat, posse se ipsum sibi ipsi manifestare Animum, dummodò

recta